

**05**

**A**

**1781**



S  
S



W. Henke  
var 9655  
Suevus  
Schroder



15.



THESIUM TREUTLERIANARUM

VOLUM. I.

DISPUTATIO II.

De

*Dr. Franke*

JURE PERSONARUM

PRÆSIDE

1655.

GOTTFRIDO SUEVO D. ET P. P.

Respondente

JULIO ERNESTO Schröder/ Danneb.

THESIS I.



**R**ecté Gajus omne jus pertinere vel ad personas, vel ad res, vel ad actiones, l. i. ff. de stat. bom. Persona & natura sive sexu distinguuntur in mares & foeminas & semper ad alterutrum horum refertur hermaphrodites

05 A 7781

*Adjectanea & explicantia.*

i. Distributio illa Gay ab objecto desumpta, satis congrua est, & vel ideo retinenda, quia secundum hunc ordinem Institutiones compilari voluit Iustinianus, in §. ult. Inst. d. I. N. G.

[Hotom. Heigius & alij d. §. ultimum, rejiciunt intit. seq. de Jur. person. for. te ideo, quia & in titulum ff. de stat bom. distributio illa relata est.]

C

Sed



*Sed reclamatur dispositio titularum certa & uniformis, Et de intentione completorum ex aliis locis constat, solenne admodum & familiare iis esse: in tituli preced. §. ult. ea proponere, quae tractaturi in titulo seq. erant. vid. §. ult. Inst. de usu & hab. §. ult. Inst. per quas pers. cuiq. acquir. §. ult. Inst. de oblig. quod tamen perpetuum non est arg. pr. Inst. de Legat.)*

2. Frustra impugnatur distributio Gaij, tum quod vocabulum Rei omnia contineat l. 5. ibiq. Dd. de U. S. tum quod tribus membris constet. Resp. ad prius ex oppositione membrorum satis patet, quid hoc loco appellatione rei veniat scil. aliquid separatum à personis & actionibus. Ad poster. Sic evolve: Jus vel est absolutum circa personas & res vel relativum circa actiones, cum Vult 1. 7. R. c. 3. vel cum Donello 1. Comm. 1. Jus versari vel in personis vel in rebus obtinendi autem rationem esse in actionibus.

[Ita in simili, cum dicimus rem comparari posse pecunia vel alia re: ipsa oppositio ostendit quo in significato vocabulum pecunia accipiat, nimirum non in generali, quo alias omnia corpora, mobilia & tura continentur l. 178. pr. l. 222. ff. de V. S. Sed in speciali, pro pecunia numerata. Trimembrem vero divisionem, facit latitudo objecti, quod in aliis quoq. saepius in plures species resolvitur.]

3. Male alii distributionem totius Juris desumunt ex l. ult. ff. de LL. quae non inde universi Juris partibus sed tantum de rebus & hominibus hoc Jure utentibus agit. Et acquisitio illa, conservatio, amissio non constituunt Jus sed constitutum, ut effecta sequuntur, & juri tantum privato competunt publico non item.

(Recte in eandem sententiam Wesenb. Parat. de LL. n. 6. Ulpianum in d. l. ult. non de universo Jure sed illo duntaxat, quod ad res pertinet agere.)

4. Aequivoce hic ab Imperatore & à Veteribus Jctis usurpatur vocabulum personae, ita ut etiam servum contineat l. 22. ff. de Reg. Jur. proprie autem acceptum, pro qualitate hominis in civitate in servum non cadit.

(Stricte verò nimis videtur Autor definire personam, quae habet caput civile, quo modo nullibi definitur in Jure. Rectius personam dicimus, statum, Conditionem & qualitatem hominis in vita civili, quã qualitatem, cum & servus habeat, statu suo, quamvis obscuro & infimo, conditione sua, quamvis durissima, quaeque mortalitati comparatur l. 209. ff. de Reg. Jur. utens, utique predicatum hoc personae, quatenus in Jure usurpatur, non denegari poterit servo, cui id ipsum Jcti tribuunt, non tantum in d. l. 22. ff. de Reg. Jur. Sed alibi passim in l. 86 §. 2. ff.

§. 2. ff.

§ 2. ff. de Legat. 1. l. 1 § 4. ff. de stipul. serv. l. 41. ff. de hac. instit. §. 7. Inst. de injur.  
§. 5. Inst. de oblig. que ex d. lit. §. 2. Inst. de stip. serv

Et dum Imperator in primo juris objecto de personis agit, rubr. & pr. Inst. de Jure person. Servos quoque comprehendit. Quid itaque vetat, personam, aliam liberam dicere, aliam servilem. Nec libero homini aliquid adimitur appellatione personæ. servo tributa, nec huic aliquid propterea accedit. Utraque persona sua qualitate & fortuna in vita civili utitur. Habet servus personam, sed longè separatam à liberà, habet personam, sed non talè, quæ in jus vocari, quæ novare, quæ communionem Juris civilis habere possit. Ea enim liberis personis sunt præcipua. Ita novissimè vocabulum personæ considerant Ungep. Exerc. 2 quæst. 10. Gæhaus p. 1 peric. 1. 4. quæst. 6.

5. Marium & fœminarum par ratio est, non tantum in pactis servandis l. 6. §. 2. ff. de pollicit. verum etiam in statutis pœnalibus Ideo & pœna raptus tenetur fœmina, si virum rapuerit, & pœna invasæ, possessionis alienæ, imò in multis deterior est conditio fœminarum, ait Ictus in l. 9. ff. de stat. hom.

[Nullam quidem mentionem facit Imp in l. un. C. de rapt. virg. Mulieris virum rapiens ideo constitutionem illam, tanquam odiosam & pœnalcm, non extendendam, & fœminam ob crimen raptus extra ordinem saltem puniendâ esse, multi volunt, quos allegat & sequitur Hænon. disp. Inst. 24. th. 4. lit. d. Verum quia in adiutrices fœminas, opem rapientibus, quovis modo ferentes constituta est in l. un §. 2. vers. cœteras, multo magis in auctrices, eandem pœnam statutam esse dicendum erit. eumq; in pœnalibus quoque masculinum in se contineat fœminum li. l. 195. v ff d V. S. & fœmina rapiens, quas major castitas decebat, gravius delinquant, non extensio fit sed ipsius sanctionis que sub leviori casu, graviolem comprehendit. applicatio; vid. Gvedd. ad 6. l. 1 ff de V. S. n. 53. Riemer. Decad. 15. quæst. 7.

Et generaliter definitum est, in l. ult. C. de Jur. & fact. agnor. in his tantum casibus subveniri mulieribus in quibus legum autoritas ijs suffragatur, id est in casibus jure expressis, qualis casus est in fœmina adulterâ quam mitius puniri Justinianus voluit in Nov. 134. c. 10. De ratione mitigatæ in fœminis ad ulteris pœnæ fufius egit Dn. Carpz. Pr. crim. p. 2 quæst 53. n. 10. & seqq. Jure Sax. æqualis ad ulterij pœna est in maribus & fœminis Ordin. provinc. de Anno 1543. tit. von Straff des Ehebruchß Const. El. 19 p 4.

6. Male Cujac. lib. 6. obs. 21. & scip. Gentil. lib. 1. Parerg. c. 5. quasi foemina  
 ¶ Cto proprie homo non sic: *Contra l. hominis 152. ff. de V. S. in l. 36. §. 5. ff. de poen.*  
*mulier aut homo non opponuntur adverse, sed relative, ad utrumque nimio*  
*rum poculum, de quo agitur ibid. abortionis & amatorij, si illo mulier, hoc*  
*homo, sive vir sive mulier perierit.*

[*Posunt etiam verba finalia d. §. 5. ad poculum abortionis referri; si eo mu-*  
*lier, aut homo, id est foetus in utero, de quo nondum constat an mas sit vel foe-*  
*mina perierit, Freber lib. 1. Parerg. 17.]*

7. Hermaphroditus peculiarem speciem non constituit, sed ad eum  
 sexum refertur, qui in eo praevalet. *l. 10. ff. de stat. hom. etiam in feudis.*

(*De Hermaphroditis plura vid. ap. Cypr. de sponsa lib. c. 9. §. 13. n. 46. Ad testi-*  
*monium an admittendus sit Hermaphroditus, qualitas sexus incalcentis o-*  
*stendit, dicit. ¶ Ctus in l. 15. ff. de testib. Idemque si virilia praevaleant, post h. mū-*  
*heredem instituere potest. l. 6. in fin. ff. de lib. & posthum. In feudali successione,*  
*si sexus masculinus praevaleat admittitur; Si femininus, removetur secundum*  
*communem Dd. distinctionem. vid. vult. de feud. lib. 1. c. 9. n. 61.*

## Th. II.

Ex Jure porro homines alii liberi sunt alii servi *l. 3. ff. de stat. hom. sub servis & statu liberos comprehendo. lib. 16. 25. 29. ff. de statu lib*  
 imo hodie vero servos in orbe Christiano reperiri non puto, ad co-  
 gnitionem tamen Juris Romani veteris disquisitio de servis est ne-  
 cessaria.

### *Adjectanea & Explicantia.*

1. Libertatis & servitutis definitio recte petitur, ex *l. 4. pr. & §. 1. ff. de stat. hom.*

(*Hae definitiones suas fecit Justinianus in §. 1. & 2. Inst. de Jur. person. U-*  
*troque loco, dum servitus definitur, quod sit constitutio Juris gentium, [nimirū*  
*in genere, ne excludatur illa servitus, quae Jure civili introducta est, per ven-*  
*ditionem sui ipsius, ad pretium participandum §. 4. Inst. d. tit.] Sicut alias vo-*  
*cabulum pactiois, pro pacto usurpatur: Contra naturam servitus hac dicitur*  
*in.*



introducenda in d. l. 4. §. 1. & d. §. 2. Inst. h. t. quatenus scilicet statum ipsum servorum concernit: Alia enim longe consideratio est Aristotelis lib. 1. polit. 3. qui secundum naturam, dicit esse aliquam servitutem, qua stupidi sapientibus, inferiores superioribus subjiciuntur: Quae consideratio, Juridica non est, tum quoad statum servorum, cum quoad peculiare effectus, qui servis in Jure tribuuntur.)

2. Servus alieno Dominio subijci dictum in definitione locis allegatis; non ergo intelligitur sine Domino. Et licet ratione possessionis in nullis bonis sit; servus nimirum hereditarius, de quo casu loquitur l. 1. pr. ff. de rer. divis. l. 3. pr. ff. de pecul. l. 1. §. 15. ff. si quis testam. lib. esse juss. ratione juris tamen quod heres in rebus hereditariis, vel alius in aliis bonis habet, in ejus bonis esse intelligitur. Improperie autem servus dicitur in l. 23. pr. ff. de lib. caus. §. l. 36. ff. de stipul. serv. qui dominum nondum habet.

(Servus hereditarius Dominum non habere videtur: habet tamen: siquidem cum eo est testamenti factio: & adita nondum hereditas personam defuncti repraesentat, cum facilius fingatur Dominus esse, qui antea fuit non heredis futuri §. 2. Inst. de hered. instit. qui nunquam fuit Dominus & ante aditionem incertus est vid. Hillig. ad Donell. lib. 6. comm. t. 2. lit. F. Considerato tamen eventu aditionis hereditas personam heredis sustinet, de quo accipimus l. 24 in fin. ff. de novat. vid. Bachov. in Comm. Inst. ad d. tit. de hered. instit.)

3. Statuliber, qui statutam vel destinatum in tempus vel conditionem, libertatem habet l. 1. pr. ff. de statulib. servus est. l. 16 l. 25. l. 29 ff. de statulib. quam in favorem libertatis de proximo future instar liberi puniatur l. 14. ff. de question. l. 9. §. si ff. de poen.

[Conditio nihil ponit in esse, & ante existentiam dicitur vel conditionis pristinum statum retinet servus: talisque medio tempore expresse dicitur in l. 9. pr. ff. de statulib. noxae dari potest. d. l. 9. pr. & vendi l. 25. d. tit. & statulibera quod peperit servum heredis est l. 16 ff. d. t. Punitur statuliber, quasi jam liber: de Jure benigniore, ex Rescripto D. Pij. d. l. 9. §. si ff. de poen. quanquam ante illud, & de Jure stricto statuliber, tanquam servus puniatur, l. 29. ff. de statulib. Quae conciliandi ratio optima videtur, cum ceterae divinatione non careant: quando in d. l. 29. statuliberum, non ut talem, sed ut servum, antequam statuliber fieret deliquisse. Ideoque ut servum puniendum esse dicunt considerato nimirum in poenis irrogandis tempore delicti, non sententiae l. 1. pr. ff. de poen. vel statuliberum ibidem, in Dominum aut res ejus deliquisse contendunt, vel addita negatione, non in publicis easdem poenas pati volunt statuliberos, cum ceteris servis. Cu-

jac. 1. Ob. serv. 37. vel in publicis judicijs ut servos in privatis ut liberos puniendos affirmant. Nam in specie de statulibero delinquente citra respectum persone Domini aut extranei, & de delictis privatis quoque loquitur Jctus in d. l. 29. In publicis autem Judicijs levius puniri statuliberum, in privatis gravius rationi non convenit. vid. l. 7. ff. de publ. jud.)

4. Promittens hominem, non liberatur solvendo statuliberum. vid. vol. 2. disp. 29. thes. 3. in fin.

[Vera est hæc assertio in casu quando quis hominem in genere promittit, de quo casu loquitur Jctus Africanus in l. 38. §. 3. ff. de solution. Quando vero homo, in specie, puta Stichus aut Pamphilus promissus est; isq; sine culpa aut facto debitoris statuliber factus est: liberatur, cum debitori hic nihil imputari possit qui præstat servum, sive individuum illud, prout reperitur, de quo loquitur Ulpianus in l. 9. §. 2. ff. de statulib. & Paulus in l. 92. §. 1. ff. de solut. Quod si factum & culpa debitoris, Stichus aut Pamphilus promissus statuliber factus sit; talem solvendo non liberatur. Nec tamen repetere solutum potest qui casus singularis est in l. 63. ff. de condict. inde contra Regulam; quia toties condictio in debiti sive repetitio soluti datur; quoties per solutionem non liberatur debitor l. 26. si decem 13. ff. d. t. l. 34. §. ult. ff. de solut.]

5. Adscriptitij liberis annumerandi sunt quia possidere & cum Domino litigare possunt. per text. in thesi alleg. Cujacius servos eos dicit inspecto Domino, liberos, inspecto fisco, alijsque omnibus.

(In signis quoque nota libertatis in adscriptijs est quod Clericus fieri potest, etiam præter voluntatem Dominorum secus ac in servis. vid. Nov. 123. c. 17. quod Judæus Christianum non potest habere servum at bene adscriptitium, cap. 2. X. de Judi. Ideo multoties servi & adscriptitij invicem opponuntur d. c. 17. l. 21. C. de agric. & cens. l. fin. C. de transact. l. 24. C. de Episc. aul. l. §. 4. ff. de his qui ad Eccles. & passim. Quæ autem gleba vel terra sua perpetuo addicti eidem semper in herere dicuntur, alienari etiam ac vendi possunt. Statum ipsorum non prorsus servilem efficit, quia eadem hodie quibusdam locis rusticorum conditio est, quos tamen servos esse, non dixeris. Plura vid. ap. Carpz. ad pr. Inst. de Jur. Person. Distinctio illa Cujacii non satis convenire videtur, dum servos, dicit adscriptitios, inspecto Domino. Hoc enim posito utiq; quoad statum ipsum & in omnibus servi erunt: Imo nec inspecto domino, in omnibus servi sunt: Servus simpliciter alienari potest, vel cum peculio, vel sine eo adscriptitius, non nisi cum gleba vel terra sua l. 7. l. 21. C. de agric. Semiliberos vocat. Stephan. Forcatul.

catul itidem minus congrue, quia definitio & qualitas status, divisionem aut partitionem ejusmodi non admittit. Aut liberi dicendi sunt aut servi. Id rectius dicitur adscriptitios habere maculam servilem, aut vestigia servitutis antiq<sup>z</sup>, vid. Hillig. ad Don. lib 2 c. 9. lit. V.

6. Tabularii servi non sunt l. 3. C. de tabular.

(Id solum dicitur in hac l. 3. quod tabularij ordinarij debeant liberi homines non servi, unde servos tales olim fuisse aut fieri potuisse sequitur, idq<sup>z</sup> probari videtur ex l. uli. C. de serv. Reip. manumit. Et ex l. 1. §. 5. C. de comm. serv. manumiss. Ubi servum dicitur, Notarium fuisse dicitur. Quanquam ad d. §. 5. olim ita me respondisse sciam: id non de Notarijs nostri temporis, quorum usus in contractibus testamentis & aliis est, sed de ijs, qui more Romanorum leves quasdam notas aut literas pingere noverunt.

7. In Orbe Christiano hodie, licet alicubi durissimæ conditionis & homines proprii sint, quales in Poloniâ Kmethones dicuntur, servi tamen ad morem Romanorum non sunt.

(Eadem ferme est conditio colonorum Saxoniorum, qui Lassen appellantur quasi ad colendos agros in provincia relict. vid. Landtr. lib. 3. art. 44. ibiq<sup>z</sup> extas german.

Th. III.

Servi igitur fiunt, aut nascuntur, fiunt jure gentium, captivitate, §. 4. Inst. de Jur. person. l. 5. §. 1. ff. de statu hom. Jure civili venditione sui ipsius, d. §. 4. d. l. 5. & aliis quibusdam modis, in quibus & ingratitude in patronum commissa numerat l. 6. de in int. restit. l. 21. pr. quod met. caus. Nascuntur ex ancillis nostris, ad. d. §. 4. d. l. 5. Utrique dominis non tantum operarum præstatione & rerum acquisitione adstricti, sed & vitæ necisque arbitrio subjecti ante Antonini constitutionem, unde in eorum conditione nulla esse differentia dicitur, §. ult. Inst. h. t.

ad-

A servando dicuntur servi, quippe servati cum alias in iusto bello capti, occidi potuissent

(Non igitur à serviendo, dicuntur servi, quia & famuli & mercenarij servant, nec tamen servi sunt. Caterum servi fiunt, illi tantum qui in bello iusto capti sunt l. 24. in fi. ff. de captiv. & postlimin; non item qui à latronibus d. l. 24. aut in bello civili l. 21. §. 1. ff. d. t. qualia sunt bella inter Christianos tanquam civitates (j) eisdem civitatis suscepta, in quibus iura captivitatum & postliminiorum non obtinent, sed captivo λύτρον præstando, salva semper libertate discedunt, unde & testamentum ab ijs in captivitate factum, validum erit.)

2. Per venditionem sui ipsius, inducitur servitus, modo facta sit à libero, sciente, majore 20. annis ad pretium participandum, d. §. 4. d. l. 5. §. 1.

(Nec sufficit eum, diem ultimum anni 20. mi attigisse, uti alias in favorabilibus obtinet l. 1. ff. de manumiss. l. 5. ff. qui testam fac. Sed complevisse & excessisse diem ultimum necesse est. Nec enim major 20. annis dici potest, nisi ultimum quoque diem excesserit. Vera quoque participatio pretij requiritur, quam accipiat is qui vendit l. 7. §. 1. ff. de lib. caus. l. 1. pr. ff. quib. & libert. proclam. non lic. Denique ut Emptor ignoraverit, liberum esse, qui venditur; Si enim sciens liberum emerit, is qui vendisse passus est ad libertatem proclamavit. l. 33. ff. de lib. caus. l. 4. ff. quib. ad libert. proclam. Falsus itaque est Reverdus, qui lib. 2. Conject. 8. certum locum fuisse dicit, in quo liberi venales se prostituerint: Ita enim Emptor nunquam probabilem ignorantiam obtendere poterit leg. 17. §. 12. ff. de edil. Ed. quæ adducit Rerard. non de liberis, sed servis vendendis agit, Hillig. ad Don. lib. 2. c. 9. lit. o.)

3. Venditionem sui ipsius prohibet Imp. Leo Nov. 59. ar, si fiat, poenam hanc non abrogat.

(Si id vult Autor, quasi poena venditionis sui ipsius, id est, servitus, per Nov. Leonis non sit abrogata, male sentit. Nam ex d. Nov. & contractus invalidus est, & vesania mancipio libertas in pristino statu servatur, ipse tamen ut libertatis suæ proditor, & qui cum eo id facinus designavit verberibus castigari jubetur. vid. d. Nov. in fin.)

4. Ita venditus non potest à parentibus aut Consanguineis in libertatem vindicari. l. 7. §. 2. ff. de cap. min.

[in qua l. dicitur : nulli restitutioni adversus servum locus est, si libertate adempta capitis de minutio subsecuta sit. Et hac servitus loco publicæ pœnæ introducta est, nec ex solâ voluntate se ipsum vendentis provenit, cum ex solâ conventionem nemo fiat servus l. 37. ff. de lib. caus. l. 10. C. eod. Huic itaq; sicut & aliis publicis pœnis, parentes & consanguinei sub ducere non debent Patri, Jus vindicandi filium concedit Bachov in Not. hic lit. B. ne ei invito, Jus acquiritur & c. per filium adimatur. Verum, quia servitus hac Autoritate publica loco pœnæ ita serviliter & ignominiosè delinquenti irrogatur, Patria potestati dandum non est, ut vindictæ legali & publicæ deformem filium eximat. Aliud est si injustè detineatur filius hunc enim Pater vindicabit, de quo casu loquitur l. 1. §. 2. ff. de R. Vind.

§. Sunt & alii modi civiles inducendi servitutem, veluti ex S<sup>cto</sup> Claudiano, quando libera mulier, servili amore bacchata libertatem & substantiam amisit, quod sustulit Justin. Inst. de Success. sublat. ex S<sup>cto</sup> Claud. item damnatio in metallum : (cui hodiè æquiparatur damnatio ad triremes **auff die Galeen**) quod abrogavit Justin. Nov. 22. c. 8. ne quis ab initio bene natus ex supplicio fiat servus. Denique & ingratitude in Patronum commissa.

(Alios modos civiles refert Mercer. opin. 9. è quibus potissimi venditio sui ipsius ad actum gerendum l. 6. §. 5. ff. de iniust. rupt. id est ad actum sive ludum gladiatorium, histrionicum, aut ut actuarius publicus fieret. Item si quis addelectum, id est, in exercitu conscribendo citatus, non responderit quod mutatum est, in l. 4. §. 10. ff. de re milit. vid. Hillig. ad Don. d. c. 9. lit. P. Cæterum quod manu missus ob ingritudinem à Patrono in servitutem revocari possit, rectè affirmamus cum Autore, quem & Bachovius hic sequitur, contra Cujacium lib. 10. obs. 23. & lib. 21. Obs. 6. & Arum. disp. pand. 6. qu. 10. negativam tuentes, quia scil. libertatem semel datam licet falsa ex causa retractare difficile sit §. 6. Inst. qui & ex quib. caus. Præterea libertus ingratus ministerium saltem Dominis præbere jubeatur in l. 6. ff. de agnos. & alend. aliisque pœnis afficiatur l. 1. §. 7. S. ult. ff. de Jur. Patron. l. 1. §. 10. ff. de offic. Præf. urb. non autem amissione libertatis, quæ pœna nullibi expressa, in Jure nisi in casu l. divus §. ff. de Jur. Patron. Verum satis expressa est generalis pœna. amittendæ libertatis in l. 70. pr. ff. d. V. S. l. 30. §. 4. ff. qui & à quib. manum §. 1 Inst.

1. Inst. de cap. dimin. l. 6. ff. de in int. restit. l. 21. pr. ff. quod met causas idq. de jure Constitutionum minus dubium habet l. 2. 3. 4. C. de libert. l. 12. C. de oper. libert. Nov. 78. c. 2. Qui textus prolixius hic induci & applicari non possunt. vid. Don. 2. c. 17. ibique Hillig. lit. c. & contraria resolventes. Hunn. lib. 1. Var. Resol. Tract. 2. quæst. 10. Dn. Ungebaur Exerc. 4. quæst. 6. Nec distinctio inter modos manumissionis, an vindicta vel aliter facta sit, tenenda est, cum LL. generaliter loquantur de libertato ingrato.

6. Jure divino quoque nati ex ancillis, aut in captivitate venditi, sunt in potestate Dominorum. Gen. 17. vers. 12.

[Alia jura de servis & mancipiis lata vid. Levit. 25. vers. 44. Exod. 21. vers. 2. Deut. 15. vers. 12. Prov. 29. vers. 15. Ephes. 6. vers. 5. Servi ex ancillis nostris nati, dicuntur verne, vel quod vere, sive naturalis fatura tempore, vel quod domini nati, unde Græci vocant *κρηόγενας*. Hinc vernacula festivitas, i. e. domestica dicitur, Mercer. 1. opin. 9.]

7. Potestas dominica in servos, consistit in Jure vitæ & necis, etiam jure divino. Exod. 21. vers. 26.

[Non probat allegatus textus, jus vitæ & necis, sed tantum de verberatione loquitur. De Jure Romano, usque constitutionem Antonini extendit Autor Jus illud vitæ & necis, arg. §. 2. Inst. de his qui sui vel el. jur. Ceteri enim textus parum probant, Ad Hadrianum Imperatorem ante ipsum, questiones in Dominos decrevisse, qui sine causa servos occidissent, Spartianus auctor est us ita renovasse potius & confirmasse, jus antea mitigatum videatur Antoninus, quam primum induxisse.]

8. Subditos invito in potentiorum dominum alienare dominus non potest. Hotom. Ill. q. 1.

[Sic & dominus feudi, vasallos invito in alium dominum transferre nequit. Prolixè tractat & negat hanc quæst. Heig. p. 1. quæst. 19. ubi tamen in casu necessitatis, ad evitandam Dominorum pluralitatem, & discordias aut in ca-

su publica utilitatis, alienationem aut permutationem subditorum permittit  
Id quoque attendendum, quonammodo acquisitum sit Imperium, successione  
an Electione; quæ subditorum Jura & privilegia, qui mores Regni & c. adeo-  
que uniformiter definiri hæc res vix poterit.)

9. Pro elocanda filia collectam à subditis Princeps recte exigit, de  
consuetudine & notario Germaniæ usu. Mynsing. cent. 5. observ. 21.


(Eamq; sententiam Communiorem dicit Laurent. Kirchovius. cent. 5. Com-  
opin. conclus. 77. Coeterum, quamvis Jus collectandi habeant Principes, mode-  
ramen tamen adhibendum est, ne nimium graventur subditi. vid. Petr. Heig.  
p. 1. quæst. 18. ubi de moderanda Principum in tributis imponendis potestate  
prolixè disserit.)

10. Quoad statum, nulla differentia inter servos ab occidente tamè  
distinguuntur, suntque alij atrienses alii actores, alii mediastini.

(Atrienses sive atriarii, atriij curam habebant, id est ejus partis domus, in  
qua pecunie & cetera pretiosiora servabantur Eorum fit mentio in l. 15. §. 1.  
ff. de usufr. l. 1. §. 5. ff. naut. cap. stab. servi actores pecunia Dominica exigenda  
& dispensanda præsumunt, unde & dispensatores dicti. l. 5 §. 5. ff. de dol. Except. l.  
40. §. 3. ff. de statulib. Mediastini, vilissimi servi erant, quasi in medijs ædibus  
stantes ad balnearum & alia quævis obsequia parati nulloq; ordinario mini-  
sterio fungentes. Mentio eorum fit in l. 15 §. 44. ff. de injur. d. l. 1. §. 5. ff. naut. & l.  
ult. pr ff. de oper. serv.)

*Thesis IV.*

Servitutem tamen tollit manumissio, quæ olim libertinos  
hodie ex constitutione Justiniani ingenuos facit. §. ult. Inst. de libert.  
& cum sit Jurisdictionis voluntaria, ubi vis expediri potest etiam a-  
pud Legatum proconsulis l. 17. §. 1. ff. de manum. vind. & cum liber-  
tatis favor magnus sit, interdum ipso jure contingit, atque leges  
re.



restringentes partim laxata, ut Ælia sentia. Inst. qui & ex quib. caus. manum. partim sublata, ut Fusia caninia. Inst. de L. Fus. can. toll.

*Adjectanea & explicantia*

1. Libertinorum olim triplex erat conditio §. 5. Inst. de Libertin. ex constit. Justiniani omnes sunt ingenui, salvo tamen Jure Patronatus Nov. 78. c. 2. & ult.

*(Libertinorum alii majorem & justam libertatem consequiebantur & fiebant cives Romani, alii minorem, qui dicebantur dedititij ex L. Ælia sentia §. ult. Inst. de libertin. vid. ulp. in fragm. tit. 1. Caj. lib. 1. Inst. tit. 1. l. un. C. de Latin. lib. toll. l. un. C. de dedit. lib. toll. Antoninus Imperator omnes qui sunt in orbe Romano, cives effecit. l. 17 ff. de stat. hom. id est, eos qui ingenui erant, extra Romanam. tamen nati civitate Romana decoravit. Justinianus autem, etiam libertos fecit cives Romanos. d. Nov. 78. c. ult. Inst. de libert. in fi. vid. donell. 2. Comm. 15. & seq. ibiq. Hillig.)*

2. Antiquis deditiis similes videntur rustici, quos Saxo Lassen vocat, quasi relictos ad colendam terram.

*(Non in omnibus equiparari possunt: Dedititij enim factionem testamenti neque activam, neque passivam habebant, privilegia civium Rom. Consequi non poterant, & vivi erant servi, quod de relictis illis colonis, Lassen non perinde dixerim.)*

3. Et censum præstant rustici de prædiis suis, Silberzins / Pachtgefreide zinshüner & operas, easque vel equis aut bovis Pflugdinsten, vel manibus handt dinsten. Utræque vel determinate sunt ad certos dies, gesakte dinsten / vid. Const. El. Aug 52. p. 2. vel indeterminatæ pro arbitrio Dominorum aut more regionis vollige Landübliche dienste / præstandæ interdum regulariter non nocturno tempore nisi tempore necessitatis, aut si ita receptum sit.

*(Ad custodiam nocturnam vel diurnam castrarum regulariter non tenentur subditi, ob generalitatem text. in l. un. C. ne operæ & collat. exig. t. t. C. ne rusticam. adull. obseq. devoc. nisi pacto vel consuetudine aliud obtineat, aut in casu gra*



grassantium bellorum incendiariorum, diffidatorum, vid. Dan. Mell. ad Const. El. 51 p. 2. Ad carceris quoque excubias, sive ad custodiendos maleficos extra castrum consuetudinis vel pacti, non sunt obstricti.)

4. Ad operas advectorias baußühren interdum tenentur subditi, ad novas tamen domos, quas plures filii Nobilis alicujus exstruunt, eas præstare non sunt obstricti, nisi consuetudine inductum sit. Moll. 2. semestr. 32.

(Quæ de operis advectionum baußühren dicuntur, in ordinat. Provinc. Sax. de Anno 155. expresse ad ædificationem habitationis, des Ritterstüzes restringuntur. Ideo ad ædificanda horrea, stabula, granaria, aut lapides ad strata, vias, pavimenta, Pflaster/steine/ligna ad conficiendos canales, convehere aut terram pulveremque diruti ædificii, den schut / avehere, non tenentur, vid. Berlich p. 2. concl. 65. n. 6. Moller. lib. 2. Semestr. c. 31.)

5. Apud Legatum Proconsulis manumitti posse probatur ex l. 17. ff. de manum vind. & ex ratione, quod propriam habeat Jurisdictionem, cum Provinciam ingressus est: non obstante l. 2. ff. de offic. Procons.

(Videtur Autor cum Corasio, Hotom & Duar. distinguere tempus ante & post ingressum in Provinciam, & de priori accipere dictum l. 2. de posteriore, d. l. 17. Rectius d. l. 2. accipimus de casu, quo Proconsul. Jurisdictionem suam Legato nondum mandaverat. Quia itaque ante mandatum Jdict. nihil proprium habet Legatus l. 13 ff. de off. Procons. Idco apud eum nemo manumitti potest, d. l. 2. mandata vero Jdictione manumitti potest. l. 17. in qua negativam ad dit. Cu. jac. 1. obs. 1. manumittere non possumus: malè, contra auctoritatem Florentini aliorumq; Codicum contra coherentiam textus, & naturam vocularum, sed & quæ conjunctiva sunt, idemque cum precedentibus intendunt non diversum eiq; oppositum. Dicis, Jus manumittendi Legatus à Lege habet, quomodo igitur ex mandato Proconsulis. Resp. mandatum non de novo tribuit, Jus manumittendi, sed exsuscitat, & occasionem confert Juris illius exercendi, quod à Lege quidem habebat, sed sub conditione si Proconsulei mandaverit Jdictionem. Ita Magistratus municipales jussu Præsidium, dant Tutores, §. 4. Inst. de Attil. tut. quod jus tamen à Lege habens l. 3 ff. d. tutor & curat. vid. Pac. cent. 1. Erant. c. 46. Arum. disp. ff. tor. q. 23. Dn. Ungep. Exerc. 2. q. 14.

[Cæterum hac definitione observata & quinam effectus sit mandata Jurisdictionis à Proconsule non est ut distinguit Autor inter ea, quæ à Lege mortua, & quæ à Principe Lege viva dantur illa mandari posse, hæc non item. Confer ea quæ circa hoc ipsum notat Bachov. hic: Illud addimus. Pro consulem non cogi, ut mandet Jurisdictionem Legato. l. 6. §. 5. ff. de off. Procons. Si autem velit: mandabit Jurisdictionem voluntariam quidem simul ac urbem egressus est, quia eandem tunc habet l. 2. pr. ff. d. t. contentiosam vero cum provinciam ingressus est l. 4. §. ult. eod. tit.)

6. Si in manumissione ancilix moram fecerit heres nati ex ea, liberi sunt non servi l. 4. C. de fidei. lib.

(Adde l. 1. §. 1. ff. de suis & legit. Plures modos, quibus libertas ipso Jure contingit vid. in tit. ff. qui sine manumiss. ad libert. perven. & ap. donell. lib. 2. c. 12. ibique Hillig.)

### Thesis V.

Jngenui porro aut alieni juris, hoc est, in potestate patris sunt aut sui juris in potestate patris quæ propria est civiū Romanorū §. 1. Inst. de Patr. pot. sunt liberi ex justo matrimonio nati. l. 19. ff. de stat. hom. etiam mense septimo, post contractas nuptias l. 12. ff. de stat. hom. etiam mense decimo post mortem patris, l. 3. §. fi. ff. de suis & legit. Partus ad monstrum declinantes liberi non sunt. l. 14. ff. de stat. hom. in utero vero existens toties pro jam nato habetur, quoties de commodo ipsius agitur. l. 7. ff. d. t.

### Adjunctanea & explicantia

1. Potestatis vocabulum de dominica & Patria æquivoce usurpatur.

Suf.

(Sufficit tamen in genere de utraq; predicari ab Imperatore & JC10. in p<sup>r</sup> Inst. de his qui sui vel al. Jur. l. 1. ff. eod. Peculiaribus tamen attributis & effectis facile ab invicem distinguuntur.)

2. In Matris potestate liberi non sunt, vel quia foemine Jure Romano in perpetua tutela sunt, vel quia nati, Patris familiam sequuntur, æqualis tamen honor utrique debetur. arg. l. 6. ff. de in Jus voc. t. t. de obseq. par. præst.

(Quod autem Jus Romanum consensus Matris non requirit, in nuptiis liberorum, id non ad defectum, vel inæqualitatem reverentia, utriq; parenti debita pertinet, sed ad jura & reservata Patria potestatis, interim reverentia, quoad personas utriq; salva est, adde Nov. 119. c. 3. §. 1. & Nov. 118. c. 2.)

3. Patria potestas propria est civium Rom: non genere, sed qualitate & effectu.

(Materialiter est Juris natura & gentium formaliter est Juris civilis, quoad peculiares modos constituendi, per nuptias justas & solennes, per legitimationem, per adoptionem, quoad modos dissolvendi, per emancipationem, deportationem: dignitates, adoptionem & c. quoad peculiaria jura circa suites hereditates, testamenti fact. onem: acquisitionem, peculia, substitutionem. Imò jus vitæ & necis quod apud Romanos receptum fuisse certum Dionys. (Halicarnass. lib. 2. l. 11. ff. de lib. & postum. l. ult. C. de Patr. pot. adde Exemplum Patris Horatii ex Liv. lib. 1. apud cæteras verò gentes adhuc indubio est, Vid. Dn. Unger. Exerc. 3. quest. 2. Dn. Frantz. Exerc. 2. in Auctar. Hæc. disp. Inst. 2. q. 2.)

Jus autem illud vitæ & necis sublatum est l. un. C. de his, qui par. vel lib. occid. l. 5. ff. ad L. Pomp. de Parricid. Vestigium ejus superesse videtur in occisione filia in amoribus illicitis deprahensa vid. l. 20. & seqq. l. 23. pr. & §§. seqq. ff. ad L. Jul. de adult. Est & id Jus summum vendendi ob nimiam egestatem liberos, non tantum sanguinolentos, id est precentes à sanguine sive recens natos. vid. Arum. Exerc. 2. §. 4. sed & adultos tit. C. de Patrib. qui fil. suos distrax. quale jus Patri proprium est, non matri, arg. d. rubr. & l. 26. C. de transact. Oppignoratio tamen potius est, quam venditio, & soluto pretio ad ingenuitatem

re-

redeunt l. fin. C. de Patrib. qui fil. Male autem Bodinus lib. 1. de Rep. c. 4. Patriam potestatem quoad jus vitæ & necis, in usum revocandam contendit; de quo dixi in vclitat. 3. t. bes. 1. lit. d. add. Henn. V. R. tract. 2. quæst. 15.

4. Ex illegitimo matrimonio nati matrem sequuntur, quoad statum & conditionem l. 24. ff. de stat. hom.

(Ita, ut si mater libera sit, liberi nascantur ingenui, si serva servi. Wes. Parat. de stat. hom. n. 5. & in Comm. Inst. tit. de ingen. n. 2. Inter liberum enim & servam sive ancillam, iusta nuptiæ non contrahuntur. l. 3. C. de incest. nupt.)

5. Sufficit matrem, conceptionis tempore liberam fuisse.

(Tempore natiuitatis quoque liberam fuisse matrem sufficit, licet ancilla conceperit, Imo ancilla pregnans, manumissa, postea ancilla facta peperit, nihilominus liberum parit. Non n. debet calamitas matris ei nocere, qui in ventre est, & liberam matrem vel meo tempore fuisse sufficit, ut liber nascatur, pr. Inst. de Ingen. l. 5. §. 2. & 3. ff. de stat. hom. lex 18. ff. de stat. hom. quam in Contrarium allegat Autor plane non adversatur, quia idem affirmat, cum Autore liberam, que pregnans ultimo supplicio damnata est, liberum parere.)

6. Partus octavo post contractas nuptias mense natus, legitimus est.

(Textus allegati ab Autore in l. 2. & 3. C. de postum. hered. instit. ad præsentem decisionem nihil faciunt. Ipsam autem assertionem recte affirmative decidit. Dan. Moll. lib. 3. semestr. c. 28. add. Beust. de matrim. quæst. 36. Forster. lib. 1. disp. 3. quæst. 4. Arum. lib. 2. decision. in Coronid. ubi de pariendi tempore prolixè agit, adde Menoch. A. l. 2. lib. 2. cent. 1. cas. 89.)

7. Sub initium undecimi mensis post mortem patris natus non habetur pro legitimo.

Imo

(Imo habetur, modo non sub finem undecimi mensis editus sit. Et ita pronunciatum refert Beust. d. quest. 36. add. Raucha 2. quest. 24. Arum. d. loc. in Coronid. Speerchan cent. 1. quest. 27.

7. Si Mulier mox post obitum mariti pro consuetudine Regionis alteri nubat, & mense nono à morte prioris mariti pariat, indubio partus secundi mariti præsumitur.

(In foro Sax supervacanea hæc est quæstio, siquidem Ordin. matrim. Serenissimi Domini Electoris. c. 5. in si. vidua post annum, viduus post dimidium à morte conjugis annum ad secundas nuptias transire potest.)

9. Probatio filiationis ex similitudine lineamentorum vel effigiei desumi non potest.

(Ista enim similitudo, non aliunde provenit quam ex mulieris imaginatione conceptionis tempore. Menoch. Arbitr. jud. quest. lib. 2. cent. 1. cas. 89. n. 98. ubi in precedentibus, has conjecturas probande filiationis ponit. G. Si quis probet se natum ex uxore illius viri. 2. se tractatum & educatum esse ab aliquo, loco filii 3. Si filius nominatus fuerit à parentibus. 4. Si ex communi fama pro filio habitus sit Quorum omnium tamen declarationes & limitationes ibidem addit. vid. Fachin. lib. 1. contr. c. 73. & Coras lib. 2. miscell. c. 22.

10. Partus monstruosi, liberi non sunt, l. 14. ff. de stat. hom. matri tamen profunt, ad evitandos Legis Papiæ poenas l. 13. 5. ff. de V. S.

(Lex Papia, orbas mulieres semisse relictorum, seu legatorum mulctabat Gotbofr. ad d. l. 14. lit. c. quam poenam effugiunt, licet monstruosum partum ediderint, cum nihil iis imputari possit. seu fataliter evenisse censeatur. d. l. 135. Partus etiam, in quo membrorum humanorum officia ampliantur inter liberos numeratur d. l. 14. inst.)

11. In utero existentes aliis non profunt, antequam nascantur l. 7. ff. de stat. hom.

(Matri tamen profunt, nec quæstionibus aut poenis corporis afflictivis sub-

E

jiciatur

jiciatur l. 3. ff. de pœn. Neque collatio locum habet, si pregnantis Uxor relicta, ventris nomine in possessionem missa sit. Nato vero illo, conferetur l. ult. ff. de collat.)

### Thes. VI.

Sed fiunt etiam liberi in potestate legitimatione & adoptione. Legitimatio est legis actio qua liberi, naturales consentientes vel si ejus ætatis sint, ut consentire nequeant, postea id ratum habentes legitimantur. Nov. 89. c. II. Ejusmodi hodie duo subsequens nempe matrimonium §. 1. Inst. de her. ab intest. & rescriptum Principis. Nov. 89. c. 9.

#### *Adjunctanea & explicantia.*

1. Ut ex nuptiis justis naturales & legitimi simul, ita ex legitimatione tanquam legis actione, legitimi liberi fiunt.

*(Liberos quosdam vel lex & natura simul agnoscit puta è justis nuptiis, vel natura tantum extra justas nuptias è concubinato vel ex procreatos tantum legitimatione vel adoptione quæsitos; Illi naturales & legitimi tantum appellantur.)*

2. Legitimantur tantum liberi naturales, id est, nati ex ea, quam uxorem habere licuisset saltem tempore nativitatis liberorum infr. lit. f. non spurii non incestuosi non adulterini Nov. 89. v. ult. l. 10. c. de natur. lib.

*(Hodie dum concubinatus prohibitus est, & pro scorto habetur, liberique ex concubina procreati spurii dicuntur, hi ut & alii vulgo quæsitii, qui interdum naturales vocantur l. 14. §. 2. ff. de Rit. Nupt. legitimari possunt. Riem. dec. 2. q. 10. non tamen incestuosi & adulterini, qui nec naturales vocantur. Nov. 74. c. 6. nec alendi sunt à parentibus Nov. 89. c. ult. nequidem Jure canonico c. per venerabilem X. qui fil. sunt legit. uti prolixè contendit Gregor. Lopez. animadvers.*

35

*vers. Jur. civ. c. 31. Æquitatem tamen Canonica[m] Dd. Comm. agnoscunt ex c. si cum haberet X. de eo qui dux. in matrim. quam poll.*

3. Legitimantur liberi, non nisi consentientes aut postea id ratum habentes l. ult. ff. de his qui sui vel al. Jur. Nov. 89. c. ult.

*(Cum enim per legitimacionem id agatur ut liberi in patriam potestatem transferantur, utique consensu ipsorum aut rati habitione opus est, aut si pro beneficio habenda est, legitimatio, nec id invito dabitur l. 69 ff. de reg. Ju. Cæterum dictam l. ult. iudem de naturalibus liberis, quod nolentes non possint legitimari, intelligit Donell. lib. 2. c. 27. in pr. Connarius autem lib. 2. Comm. 14. n. 3. de liberis justis & civilibus, qui prius extiterunt in Patria potestate, Ideo pro vel legit semel, naturales semel emancipati idque ob vocabulum rediguntur. Frustra siquidem & de iis usurpatur, qui nunquam fuerunt in potestate Patris l. ult. ff. de adpt. l. 5. pr. ff. de stat. hom. In quibusdam Imperii locis liberi legitimandi, si ejus ætatis sint, patri in copula sacerdotali astant, eamque vestitu tenent. s. kultz. ad tit. Inst. de Nupt. lit. K. Qui ipse mos consensum eorum indicare videtur.]*

4. Legitimationi per subsequens matrimonium & per rescriptum Principis annumerabatur oblatio curiæ (scil. ad obeunda munera curialia non in curia Principis sed civitatum municipalium maxime onerosa) l. 3. & seq. C. de nat. lib. Nov. 89. c. 2. qui modus hodie inolevit, iis tamen comparant eos qui religionis causa monasterium ingrediuntur.

*(Olim quoque tum demum liberi naturales Jura suicitatis consequerentur, si parentes obtulissent: si ipsi se ipsos, sui & legitimi non fiebant, nisi deficientibus naturalibus & legitimis liberis d. Nov. 89. c. 2. Neutro etiam modo Jus agnationis consequerentur, id est Parentum cognatis non succedebant. d. Nov. 89. c. 4. Comparatio illa cum iis qui religionis causa monasterium ingrediuntur, non procedit quoad Effectum Patrie potestatis, quæ in gressu in monasterium potius solvitur, sed saltem ut ad sacros ordines promoveri possit: quod nec Auctor aliter intellexisse videtur, dum allegat Hartm. 2. miscell. obsult. in fin. sic. explicanzem.*

5. Legitimati per subseq. matrimonium legitimis & naturalibus per omnia Comparantur c. tanta X. qui fil. sint legls, & incivili Emphyteusi & in feudis succedunt.

(Taliter legitimatos in allodialibus & feudalibus succedere communis in Imperio, ex judiciis Sax. recepta est sententia. Mynscent 5 obs. 42. H. Hartm. tit. 34. obs. 6. Cond. 1. Schneidev. de feud. p. 6. c. 3 n. 14. H. Pistor. lib. 2. q. 41. n. 31. cui non contradicit. Feudista in c. un. vers. naturales 2. F. 26. ubi de iis loquitur qui per rescriptum Principis sunt legitimati, ibi nec soli nec cum alio. arg. Nov. 89. c. 9. Arum. disp. feud. 6. eb. 29. Dn. Ungep. 9. q. 6. ubi vult ei. dissentientis argumenta resolvit.)

6. Legitimatio per subseq. matrim. etiam absque instrumentis dotalibus subsistit. Nov. 117. c. 2. quod & jus Can. d. c. tanta & usus communis confirmat.

(Ita sentio Jure civili frequentissime adhibita fuisse Instrumenta dotalia, cum extra ea, non adeo facile constare potuerit, de matrimonio celebrato. Ideo ob illam frequentiam usus & ob probationem matrimonii contracti, fere semper mentionem fieri talium instrumentorum l. 10. & seq. C. de nat. lib. §. ult. Inst. de nupt. §. 2. Inst. de Ser. qua ab int. Nov. 12. c. 8. Nov. 18. c. ult. Nov. 89. c. 8. & passim. Ad substantiam autem legitimationis ea requiri, nego, quia effectus legitimationis, non ab instrumentis dotalibus, sed ab ipso matrimonio dependet nec dicitur legitimatio per Instrumenta dotalia, sed per matrimonium, de quo simul ac constat ex eo liberi max. fiunt legitimi, licet Instrumenta dotalia non conficiantur. Unde in l. 5. C. de natur. in qua de origine hujus legitimationis tractatur eorum nulla fit mentio; cur ergo in posterioribus LL & Constit. substantialia legitimationis dicamus Instrumenta dotalia. Hodie minus dubium est Instrumenta dot. ad substantiam legitimationis non requiri, siquidem de matrimonio contracto evidentissime constat, per copulam Sacerdotalem; Allegata ab Autore Nov. 117. c. 2. directe non probat quod intendit, sed agit saltem de nominatione filii, ex qua presumptio oritur matrimonium fuisse contractum, adeoque liberos effectos esse legitimos, ut ita legitimatio. hec non



non tam ex instrumento, quam ex nominatione illa matrimonii presumptiva dependeat. vid. Bachov. hic ubi & Auctoris sententiam pluribus defendit. Donel. 2. Comm. 21, ibique Hillig. Dn. Franck. Exerc. 2. q. 8. Dixi fusius in Resol. ad mat. Jur. pers. decad. 4. q. 8. Illud addimus legitimationem hanc, etiam in articulo mortis fieri posse nuptiis sola voluntate & professione confectis Wes. ad. S. uli. Inst. h. t. n. 3.

7. Legitimatio per rescriptum Principis fit vel ab ipso solo, vel per Comites Palatinos, quibus nominatim potestatem hanc dedit, quam nec alteri demandare, nec, in proprios spurios excere possunt.

(Ipsam quidem potestatem legitimandi in alium transferre non possunt Comites Palatini, ut is eam perpetuo, & quasi suo jure exerceat; actum tamen aliquem puta legitimandi Notarium, Magistrum, Poetam creandi, quin delegare alteri possint. Maxime si iusta causa interveniat non dubito. Proprios spurios Comes Palatinus legitimare non potest, ne freno laxentur vaga libidini & occasio peccandi detur, neque etiam in propria causa cognitus esse potest, qualis cognitio in hac legitimatione requiritur. Imperator autem spurios suos legitimare potest. Dan. Otto de J. Publ. c. II. tribuendum est supremæ ejusdem potestati, & ne spurii ipsius deterioris sint conditionis quam alii: Ex damnato etiam coitunatos legitimari posse à Principe statuit Auctor cum Fachin. lib. 3. contrav. 57. Quod non concesserim in natis ex ejusmodi odibili complexu, qui Jure divino quoque damnatur, quales ab Ecclesia arcentur ad decimam usq; generationem. vid. c. per venerabilem 13. inf. X. qui filii sint. legit. Filium Clerici à Principe legitimare posse, ut succedat in bonis Patris, recte statuit auctor in fin. th. ex Nov. 89. c. 1. cum Fach n. 3. contrav. 59.

8. Dati in ministerium Principis, eo ipso non fiunt legitimi.

(Ita quidem Accursius putavit argumento ducto ab oblatione Curie, de quo supra sub n. 4. h. th. sed diversa est ratio, per hanc communi civium utilitati consulitur. Quod non eaq; militat in assumptione in minister. Principis

9. Statuto, ut exstantibus masculis foeminae excludantur, non continetur legitimus per rescriptum Principis.

(Loquitur enim statutum de filiis vere legitimis, quales non sunt legitimati per Rescriptum, quo ad omnes legitimorum filiorum effectus. Sic itaq; legitimatus, equaliter succedet cum filia. Eaque sententia equior est, communi

or, & in Camera recepta. Gail, lib. 1. obs. 140. Fachin. 6. controvers. 1. Legitima-  
ti vero per subseq. matrim. quia vere & per omnia legitimi sunt statuto illo  
continentur, & fœminas excludunt, quod & in Camera observatur. Gail. d.  
l. 2. obs. 14. n. 2. utramq. assertionem Autor proponit in th. seq. sub. lit. d.

10. Subditum alterius princeps non potest legitimare, ad hunc effe-  
ctum, ut succedat, etiam in bonis alterius territorii.

In homines enim & bona alterius territorii Jurisdictio exerceri non potest  
l. ult. ff. de Jdicit. nisi Pater legitimatedi aut ii quorum interest consentiant. Fa-  
chin. d. lib. 3. contr. 58.

### Thesis VII.

Nepos etiam per subsequens avi matrimonium defuncto pa-  
tre fit legitimus, ita tamen legitimatus ex legitimo matrimonio na-  
to non præfertur, posteriori vero legitimationis modus si liberi ex-  
stant legitimi non procedit secus ex existentibus tantum agnatis vel  
cognatis, quibus hæreditas nondum est delata. à Pontifice legitima-  
tum in terris imperii ut legitimus succedere non est concedendū.

#### Adjectanea & Explicantia.

(1. Quæstio in primâ linea thes. proposita, sic exponenda est Filius ante  
matrimonium avi moritur, relictis liberis. avi matrimonium postea secutum  
est. Quæ an nepotes illi per matrimonium hoc legitimentur; quod affirmat Au-  
tor cum Fachin, quia succedunt in locum Patris §. 2. Inst. de her. qual. & ma-  
trimonium hoc subsequens retrahitur ad tempus, quo quis cum concubina  
rem habuit; ut sic & ipse filius quodammodo legitimus decessisse videatur; Ne-  
gat hanc sententiam Bachov. hic quia filio defuncto deficiat medium, per quod  
effectus matrimonii ad nepotem pertingat. Responderi potest ob retractionem  
illam principium legitimationis jam in filio factum censetur: quo jure ne-  
pos in locum Patris sui succedendo, merito gaudere debet. Non dimo veor à  
sententiâ Bachovii, quem & Gail tuetur. lib. 2. obs. 141. n. 9, & val. Forst. de suc-  
cess. aut enim nepos ille ex uxore legitima conceptus est aut ex aliâ concubina  
Priori casu jam legitimus est, neque legitimatione avi opus habet. Posteriore  
casu: ut nepos legitimus efficiatur, necesse est ut Pater ejus concubinam, in u-  
xorem duxerit. Avus autem Concubinam suam post mortem filii, in uxorem  
di.

ducens, nepotem suum ex aliâ concubinâ natum, suo matrimonio legitimare non potest argumentis Fachinai respondet Bach. d. loc.)

2. [Quæstio in verbis ita tamen legitimatus proposita non ad casum proxime precedentem pertinet, sed in genere concipienda est de legitimatione per subseq. matrim. an is, fratri ex legitimo matrimonio nato profertur puta pater filium ex Concubinâ suscepit, deinde ex inter media legitima uxore filium procreavit: eâ mortuâ concubinam priorem, uxorem duxit: queritur: an hic legitimatus, fratri ex legitimo matrimonio nato præferatur. Negat Autor. Placet Affirmativa: quod sic legitimatus, aut pari cum fratre legitime nato Jure gaudeat, ex vi retractionis & generalitate c. tantum X. qui fil. sint legit. & Novell. 89. c. 8. damus iis habere successiones illas, quas habent ab initio legitime nati, aut præferatur, in Juribus Primogenito competentibus. Hunc enim sic legitimatum, nec natura antecedit, alium, nec Jure eum superat, cum & is mox à tempore natiuitatis, legitime natus censeatur.

[3. In verbis thesæos, Posterior vero etc. innuit Autor modum legitimandi per Rescriptum Principis quod fieri non possit existentibus legitimis liberis: nisi in precibus eorum facta fuerit mentio prius probatur ex Nov. 89. c. 1. posteriorius tradit Gail. loc. alleg. lib. 2. obs. 142. n. 7. & tanquam subreptitiam non valere, ait, legitimationem, quando legitimorum liberorum nulla facta est mentio. Agnatis autem & Cognatis exstantibus recte procedit hæc legitimatio, nec eorum in libello supplice mentionem fieri oportet. Gail. d. loc. n. 11.)

(a. Assertio Autoris in verb. A Pontifice & c. vera est. Divenim est, quod credi desit aliquam Pontifici interris Imperii potestatem competere. adde quod legitimationis actus civilis & secularis est. à quo militans DEO merito abstinere debebat. can. 6. dist. 96. Interris autem pontificia sedis, ipsi tanquam Domino territorii, Regalium, Juriumque secularium exercitium frustra negaveris. In fine Quomodo legitimatus substitutum excludat, Querit Autor & Mantica. allegat. de Conjectur. ult. vol. lib. 11. t. 12. qui negativam communem dicit, ideo quia testator de liberis legitime natis, & proprie locutus, & disposuisse censetur. Casus autem hic est. Testator Titium heredem instituit, si sine liberis relictis legitimatus super est. ab hoc substitutum non excludi, censet Mantica. Ego, de Legitimatione per subseq. matrim. aliud dixerim, excludi ab eo substitutum argumento eorum: quo supra diximus, quod taliter legitimatus

con-

contineatur statuto excludente feminas extantibus masculis, & ob maximam legitimationis hujus vim & efficaciam )

Thesis VIII.

Adoptio est actus legitimus l. 4. ff. de adopt. quo homo liber in locum filii eligitur, causa ejus efficiens est lex & consensus eorum, qui hoc actu utuntur. Præterea autem requiritur ut personæ sint ad ad optationem idoneæ. l. 2. §. 1. ff. §. 9. & 10. Inst. eod.

*Adjectanaa & explicantia.*

1. Inter actus legitimos in l. 77. ff. de Reg. Jur. non refertur expresse adoptio, sed e mancipationis vocabul continetur & sublatis, licet solenni- bus à Justin. in l. pen. & ult. C. d. ado non tamen desit esse actus legitimus. Ideoque nec diem, nec conditionem recipit, nec per procuratorem, sed in- ter præsentestantum celebratur.

*(Jure veteri mancipationes inter veniebant in adoptione d. l. ult. eam. Ideo sub mancipatione comprehendi dicit in d. l. 77. De differentia legis actionum, & actuum legitimorum, & quod quidam actus legitimi sint, qui recipiant di- em & conditionem. vid. Horom. Ill. quest. 34. Florentinam lectionem affirmati- vam in d. l. 77. ibi, qui recipiunt, defendit cujac. 15. obs. 16.)*

2. Apud Legatum Procons. adoptio expediri non potest l. 3. ff. de off. Procons. l. 1. C. de adopt.

*(Refert se Autor ad distinctionem supra traditam in th. 4. lit. e. nim. ante & post ingressum in provinciam. Rectius retinemus distinctionem à Proconsul. Jdictionem Legato mandaverit, an minus. Hoc casu nihil proprium habet Le- gatus l. 13. ff. de off. Procons. Illo casu, habet. & apud eum est Legis actio. Ideo & adoptari apud eum potest. vid. notata d. th. 4. e.)*

3. In locum nepotis adoptare quis potest, licet filium non habeat l. 4. §. ff. h. t. filio autem existente, non nisi eius consensu, nepos adoptari potest l. 10. ff. h. t. §. T. Inst. eod.

*(etiam in locum pronepotis vel proneptis vel deinceps adoptare potest §. 5. Inst. h. t. Natura absurdum non est, ut quis filio defuncto nepotem habeat; Ita hoc casu fingitur habuisse filium, ex quo, tanquam nepotem, adoptet alium, fa- vore propagandæ familie. Altero casu, cum filium in potestate habet. hujus cō- sensu*

41

sensu in adoptione nepotis opus est. l. 6. ff. h. t. quia hic post mortem avi recidit in potestatem filii, tanquam Patris, ideo invito ei suus heres agnosci non debet d. 7. Inst. h. t. l. 11. ff. h. t. Si filius non consenserit, valet tamen adoptio, quoad adoptantem, ita ut nepos ei sit suus heres non quoad filium, Idque volunt Ant. Cont. & Donell. quos male Autor, quasi simpliciter dissentientes allegat.

4. Adoptio est actus legitimus, naturam imitans, quo liberos nobis quarimus. Brisson.

[Breviter & concinne definit vult. l. 7. R. 22 n. 1, & pr. Inst. h. t. quod sit legitima hominis liberi in locum filii et adoptio. Alii aliter, vid. Hillig, ad Don. 2. c. 22. tit. 2.]

5. Lex in specie adoptare permittit ei, qui plenam, legis actionem habet l. 3. ff. de off. procons. l. 1. C. h. t. Arrogatio fit per populum, Lege curiata, hodie per principem ex L. Regia.

(Pertinent haec ad formam & solennia adoptionis, Ipsum autem ius adoptandi privatus habet.)

6. Iniquum est familiam mutari a nolente. Ideo consensus requiritur, & quidem in arrogatione, expressus. Hinc infans arrogari nequit, sed adoptari potest l. 42. ff. h. t.

(De utroque magis distincte agit Autor in th. seq.)

7 Adoptantes ut & generare possint sublato (saltem vitio l. 2. §. 1. l. 40 §. 6. ff. h. t. §. 9. Inst. eod. & liberos in potestate habere, necessum est. Ideo foemina non potest adoptare nisi ex indulgentia principis: ex quo filium sibi acquirit non filium fam. Idque rescriptum etiam Regina impetrabit, si adoptare velit.

(Adoptatus a foemina filius eius fit, quo ad jus succedendi ab intestato, non quo ad jus potestatis. Harpr. ad d. §. 10. Ubi & de differentia Spadonum & Castratorum: Illi enim adoptare possunt, hi non d. §. 9. Ex novell. Leonis. 26. & 27. Castratis & foeminis etiam virginibus, adoptandi potestatem simpliciter concessa est; quas tamen usu non receptas; constat. De Regina quod addit Autor, non nisi de ea intelligi potest, quae superiorem recognoscit, saltem ratione quarundam provinciarum. Caeterum a foemina Princeps sic adoptatus in Regno & Ducatibus succedit. Tirag. ad l. 8. C. de revoc. don. verb. successerit liberos. n. 19.)

### Thesis IX.

Omnis porro Adoptatio naturam imitatur. §. 4. Inst. h. t. estque vel arrogatio, hoc est, ejus qui sui erat juris, vel adoptio in specie,

F

hoc

hoc est, ejus qui alienæ potestati erat subjectus. In illa causæ cognitio l. 2. l. 40. ff. h. t. & rescriptum Principis requiritur, l. 2. C. eod. & si impubes sit, qui arrogatur non nisi certis quibusdam conditionibus adjectis fieri solet. Hæc imperio magistratus peragi potest, & tam accurata observatione opus non habet.

*Adjectanea & Explicantia*

1. Adoptio naturam imitatur d. §. 4.

*(Minor itaque majorem non adoptabit, sed adoptandum, plena pubertate id est 18. annis precedere debet d. §. 4. Quod si ante id tempus generaverit: quod 15 to anno fieri posse volunt: etiam adoptandi facultatem non ulterius denegandam dixerim)*

2. Arrogatio à rogatione dicitur, quâ interrogabatur, olim, arrogandus, an potestati arrogatoris subjici vellet.

*(Hanc interrogationem sequebatur responsio concurrentibus aliis requisitis; unde non absurde dixeris formam quandam stipulationis intervenisse.)*

3. Olim arrogari non poterat, nisi vesticeps, i. e. pubes, ex Constit. Imperat. Antonini, etiam impubes, causa tamen cognitâ.

*(Quænam puncta vel capita, in causâ cognitione ponderanda sint, exponitur in l. 15. §. 2. l. 17. & seq. ff. de adopt. §. 3. Inst. eod.)*

4. Vitricus tutor, privignum suum adoptare potest l. 32. §. 1. ff. h. t.

*(Nec obstat l. 17. pr. ff. eod. ab Autore allegata, quæ non permittit cum arrogare, cujus tutelam vel curam quis gessit. Resp. Regulam in d. l. 17. proponi; Exceptionem autem in d. l. 32. §. 1. cum fraudis suspicio in vitrico cesset, ob maiorem affectionem donell. libr. Comm. 23. ibiq. Hillig. lit. B.)*

5. Cautio in arrogatione impuberis præstanda ab arrogatore, concernit, tum restitutionem bonorum heredibus ab intestato faciendam si arrogatus, intra pubertatem decesserit, tum solutionis quartæ bonorum; præter illa, quæ ad arrogatorem transtulit, si hic illum vel exheredârit, vel sine iustâ causa emanciparit. l. 15. §. 2. ff. h. t. §. 2. Inst. eod.

*(Cautio illa de restituendis bonis arrogati, ultra pubertatem ejus non extenditur. vid. Bach. in not. hic. In quartam autem meritò condemnandus est Pater arrogator, ne injuriam faciat, vel exheredatione vel emancipatione iniustâ)*

6. Quarta illa non est tantum, quarta legitimæ, sive portionis debite: sed omnium bonorum.

(generaliter dicitur, quarta pars bonorum arrogatoris in §. 3. Inst. h. t. l. 22 ff. eod. l. 2. C. eod. & clarissimè in l. ult. ff. si quid in fraud. Patron. quæ quartam hanc refert, ad bona arrogatoris, qualia morte ejusdem fuerunt. Contraria fusius resolvi in Resolut. ad Mater. Jur. Persona Decad. 4. quæst. 9. Ex quibus facile satis fieri poterit, iis quæ in sententiam negativam congescit Bach in not. hic. Nostram sententiam defendunt. Arum. Exer. 2. q. 19 Dn. Frank. Ex. 2. q. 9. Dn. Ungep. Ex. 3. q. 12.

7. Præsupposita autem opinione contrariâ tantùm quartam legitimæ portionis deberi arrogato. Non tamen auctum esse dicemus quartam hanc ex Justiniano in Nov. 18. c. 1.

(Eorum saltem quarta aucta est in d. Nov. qui habent querelam in offic. hac autem arrogato non datur, l. 8. §. 15 ff. de in off. testam. cum ordinarium beneficium, petendæ quartæ habeant ex Rescripto Antonini. vid. Harpr. post plures alios alleg. in §. 3. Inst. h. t. cujus argumentis in discursu satisfiet.)

### Thesis X.

Adoptatio in specie sic dicta, si fiat ab extraneo, hodie adoptati familiam non mutat. l. pen. §. 1. C. h. t. Illud generatim verum est, in feudis adoptivos non succedere. C. un. 2. F. 26. vers. adoptivus nec donationem omnium bonorum revocari filio postea adoptato, arg. l. 8. C. de revoc. don. nec jus retractatus adoptivi cõpetere. Tiraq. de Re. tract. §. 1. gl. 8. n. 26. nec tacitam Conditionem, si sine liberis decesserit, intelligi mutatam superveniente filio adoptivo. Cyn. in l. 6. C. de instit.

### Adjectanea & Explicantia.

(Recte autem emendavit Justinianus ius vetus & constituit, ne per adoptionem ab extraneo factam familia mutetur, neve Jura patris naturalis dissolvantur, sed solum successionis ab intest. Commodum ad adoptatum pertineat. d. l. pen. §. 1. C. h. t. §. 2. Inst. eod. Ratio emendationis iustissima. Olim enim si Pater adoptivus emancipaverat adoptatum, utriusque Patris hereditati fraudabatur. §. 14. Inst. de her. ub. in l. pen. post. pr. C. h. t. quod cum cesseret in avo materno adoptante: cui nepos ex filiâ, ab intest. succedit, Ideo circa hanc adoptionem nihil mutatum est.)

1. Plebejus ab extraneo Nobili adoptatus, non nobilitatur, nisi avus maternus adoptet, aut apud principē hoc agatur. vol. 2. disp. 15. th. 9. lit. e

[*Neutram harum limitationum veram existimo nepos ex filiā nobili, Patre Plebejo, adoptatus, postea ab avo materno Nobilis non efficitur. Nobilitas à patre & paternā linea est, non à matre vel materna lineā & penes avū maternum eq̄, ac penes aliū extraneum Jus aut potestas non est Nobilitatem conferendi. Nec altera Exceptio procedit. Princeps enim actum adoptionis tantum probat, non autem nobilitat adoptatum. Quod si Princeps expresse nobilitatem, conferat, iam id non adoptioni coram Principe celebratur, sed potestati & gratia Principis ferendum est. Augeri tamen dignitatem adoptati quoad certos effectus non diffitemur. arg. l. 6. pr. ff. de Senator. l. 32. ff. de Rit. Nupt. quo tendunt argumenta Arum ei dissentientis. Exerc. 2. th. 21. ubi in fine malè argumentatur. Servus per adoptionem fit liber. §. ult. Inst. de adopt. b. & nobilis. quia libertatem conferre per manumissionem vel alio modo quis dominus privatus potest. Jus nobilitandi vero privatus nō habet.*

2. Liberi quos Pater nobilis ex ignobili foeminā suscepit, per subsequens Matrimonium legitimantur d. J. Con.

(*De Legitimatione nullum est dubium, etiam de Jure civili, quo nuptiis inter Nobilem & ignobilem consistunt. Auth. sed novo Jure C. de natur. lib. Videtur autem ut ex sequentibus verbis apparet, Nobilitatem intendere Autor, an is de quo in thesi fiat nobilis quod utiq̄ affirmandi. n̄ est quia sic legitimatus, perinde habetur, ac initio legitime natus fuisset: dnbiūq̄ nullū est ex nuptiis Patris Nobilis cū plebeja filiū Nobilē nasci, & patrē sequi, quoad statū. l. 16 ff. de stat. hom. Non tamē admittitur in ijs, ubi plenarius numerus Nobilitatis Paternae & Maternae requiritur. Bollbürtige Ritterß leute von Vater und Mutter: vt Autor hic addit lit. a. in fi.)*

3. Adoptivus nec in feudo succedit, nec quartam ex seo consequitur: nisi feudum sit merè hereditarium & adoptatus nepos ex filiā aut statuto & consuetudine id inductum sit.

(*In feudo enim mere hereditario succeditur, secundum Jus Commune. Statuto autem & consuetudine, adde & pacto Investiturae, ea induci possunt, quae alias naturae feudi repugnant.*)

(vera



(vera est assertio, proposita in verbis nec donationem. Proprie enim accipienda sunt verba d. l. 8. D. de revoc. don. ibi suscepit. Ex eadem ratione Jus retractus non habet adoptivus, nisi ab ascendenti aliquo adoptatus sit idque non adoptio tunc tribuit, sed jus sanguinis. Vera etiam est assertio in verbis, nec tacitam conditionem. Præsupponere autem videtur, casum, quo in vel substitutus quis erat sub conditione, si sine liberis decesserit testator, & solos adoptivos reliquerat per quos mutari non potest conditio ad in-vel substitutum excludendum, cum de veris non fictis liberis testator senserit. In verbis quid autem si testator. sub. lit. c. obscurus est Auctor. Id autem proponere voluisse videtur, uti colligitur ex allegato Mantica. Si adoptatus filius ab adoptante institutus & fidei commissum gravatus sit deinde liberos naturales & legitimos reliquerit queritur an hi liberi faciant deficere fidei commissum. siquidem alias, quando Pater filio suo substituit, aut eum gravat, non adjecta conditione, si sine liberis. Hæc Conditio tamen tacite subintelligitur, & liberi superstites faciunt evanescere substitutionem vel fidei commissum l. 6. C. de instit. & subst. Quid ergo de filii adoptivi gravati liberis dicendum: Distinguiamus cum Mantica. l. 10. t. 8. liberos ejus qui ab ascendenti aliquo adoptatus, & fidei commissum gravatus erat, excludere fidei commissum, cum & in hoc casu cum descendenti aliquis gravatus est tacita illa conditio, si sine liberis subintelligatur ob præsumptam naturalem affectionem in sobolem suam præ extraneo. Si vero extraneus adoptatus & gravatus fuerit: hujus liberi non faciunt deficere fidei commissum cum cesserit in ijs ratio & præsumptio prædicta vid. Bach. in Not. hic.)

## X I.

Adoptioni non dissimilis est recepta passim hodie in Germania unio prolium, quæ est pactum inter parentes, eorumque ex diverso matrimonio utrinque susceptos & suscipiendos liberos præsupposito filiationis jure de mutua invicem successione coram ordinario loci magistratu cum causæ cognitione, adhibitis iis quorum interest & actis intervenientibus ritè recteque initum.

*Adjectanea & Explicantia.*

1. Unio prolium, perinde ut adoptio per fictionem procedit: vocatur *Ein Kindschafft* & in Camera quoque confirmata est. vid. Gail. 2. Obs. 125.

*(Finguntur enim utrinque liberi qui tamen unius partis liberi non sunt & sibi invicem fratres & sorores finguntur, qui tamen tales non sunt.)*

2. Solâ consuetudine inducta est unio Prolium, nec summam inæqualitatem inducit.

*(Id verum est, si facultates utriusq; parentis & liberorum, serè sint æquales, si minus utiq; inæqualitas & sepe summa incidat. Proportione tamen facultatum modus adhiberi poterit pacto unionis.)*

3. Pater testamento unionem inducere potest, ita scil. ut de suis tantû bonis inter liberos ex se, in diversis matrimoniis procreatos, disponat.

*(Unio prolium hæc dici non potest, non enim uniuntur hic diversorum Parentum liberi, vel comprivigni, sed iunguntur liberi unius patris ex diversis uxoribus; inter quos de bonis suis disponere non prohibetur.)*

4. Patria potestas ex unione prolium non inducitur; alendi tamen sunt mutuò quæsitæ liberi.

*(Nihil aliud intendit unio Prolium, quam mutue successionis emolumentum Imo & adoptio ab extraneo facta de Jure novo, Patriam potestatem non importat per ea quæ supra dicta sunt.)*

5. Succedunt liberi uniti in omnibus bonis successione paternâ maternâ acquisitis.

*(Impropria locutio est, quæ id involvere videtur, quasi & ipsi liberi uniti in bonis successione Patris & Matris quæsitæ, sibi invicem succedant, tanquam fratres & sorores fratribus & sororibus, quod nec ratio Juris, nec finis unionis prolium admittit; ideò mens illa est, quod succedant æqualiter in bonis Paternis & Maternis, quæ post mortem utriusque inventa fuerunt, quâ successione & divisione factâ unio, & ulterior successio mutuâ expirat.)*

6. Circa solennitates unionis, loci cujusque statuta & mores attenduntur; Gail. d. Obs. 125.

*[In primis autem, præsentia tutorum, Curatorum & propinquorum & excusatio facultatum præter cognitionem & auctoritatem requiritur. vid. tot. Joh. Kopp. lib. 1. obs. 55.]*

Solvitur patria potestas morte, pr. Inst. quomod. jus. pat. pot. Solv. dignitatibus quibusdam, Nov. 81. c. 1. (non tamen Doctoratus, non Monachismi) emancipatione, §. 6. Inst. h. t. delicto. l. 6. C. de spect. c.

*Adjectanea & Explicantia.*

1. Morte tam Patris, quam filii solvitur Patria potestas.

(Morte avi, in cujus potestate nepos est, tunc idem solvitur, si nepos post mortem avi non sit recessurus in potestatem patris sui, puta, si pater vivente avo mortuus aut emancipatus est, pr. Inst. quib. mod. ius. pat. pot. solv. Quid si Pater per dignitatem liberatus est patria potestate? Resp. hoc casu nepos post mortem avi recidit in potestatem Patris. Nov. 81. c. 11.)

2. Dignitates, quæ à Curia eximunt, liberant quoque à Patria potestate.

(A curia eximunt, ne quis curialibus muneribus quæ magis onera erant, in municipiis, implicare se cogatur. Quales sint hæ dignitates à Curia eximentes, vid. in l. ult. C. de cur. & Nov. 70. Olim nec Consularis, dignitas liberabat Patria potestate, sed summa Patriciatus dignitas §. 3. Inst. h. t. [id est Consiliariorum vel patrum Principis) quæ major est consulari, aut Præfectura Prætorii & aliis l. 3 C. de Consulib. Cassiod. lib. 3. var. 5 quod iure nov. mutatum est. Nov. 81. c. 1. Per Episcopatum quoque filius liberatur patria potestate d. Nov. 81. c. ult. De Consiliariis Principum & statuum Imperii hodie idem dicendum est. Vult. ad. d. §. 4. n. 3.

3. Doctoratus non solvit patriam potestatem.

(Nam & veteres Juri, Advocati, & milites, qui peculium Castrense vel quasi habebant non exempti erant l. ult. §. fin. C. de inoff. test. §. 4. Inst. h. t. vid. Dn. Ungep. Exerc. 3. q. ult.)

4. Nec Monachismus à patriâ potestate liberat.

Con-

[*Contraria sententia verior, Monachus enim in potestatem Abbatis transit. & Monasterio acquirit, neque Patri filium inde abducere, licitum est Nov. 123. c. 41. Idque & olim de Flaminiis dialibus & virginibus vestalibus affirmavit. Ulp. in fragm. tit. 10. §. 5. De vestalibus vid. Gell. lib. 1. N. A. Revart. 2. var. c. 17.*

5. *Emancipatio vel legitima est vel Imperatoria.*


(*Legitima per imaginarias venditiones & manumissiones celebratur. vid. Ulp. in fragm. d. 1. 10. pr. C. jus. lib. 1. Inst. tit. 6 §. 3. Imperatoria, Rescripto Imperatoris fiebat, §. 6. Inst. h. t. quibus addenda est tertia, qua saltem Magistratus competentis aditionem requirit, sine impetratione sacri rescripti. d. §. 6. l. ul. C. de emancip.*

6. *Hodie absque solennitate iudiciali fit emancipatio, voluntate patris etiã tacitã, si filiũ res, suas sibi habere sinat, aut in matrimoniũ collocet.*

(*Jure Sax. sola separatio bonorum & mensa patrie potestatis dissolutionẽ importat Landr. lib. 1. art. 11. bi scil. liberi puberes Separationem istam instituunt. Const. El. Aug. 10. p. 2. in qua & illud deciditur, Patriam potestatem Jure Sax. nullibi sublatam esse: Filia cum primis Jure Sax. per nuptias in mariti potestatem transeunt, & patriã liberantur etiam si domo & mensa Patris adhuc fruatur. Filii vero Uxorem ducendo patriã potestate non liberantur, nequidem Jure Sax. quia ratio, qua in filiabus militat, transit ito nim. in tutelam & curam mariti, in filiis cessat. Dn. Carpz. ad d. Const. 10. def. 2. & 3.*

7. *Pater Leno, filiabus peccandi necessitatem imponens Jus patrie potestatis amittit. l. 6. C. de Spectac. lib. 11.*

(*Dominus quoque ancillis id imponens Jure Dominico privatur d. l. 6. Denique exheredatione patriam potestatem solvi aut umant multi. Sed male, quia pater, exheredato tutorem dare potest l. 4. ff. de testam. tut. eidemque pupillariter substituere § 4. Inst. de pupill. substit. Utrumque Patrie potestatis notum & effectus est, l. 73 §. 5. ff. de Reg. Jur. pr. Inst. de pupill. substit. Ad r. m. Exerc. 2. q. ult.*



is  
ff  
us  
2,  
  
d.  
o  
n-  
b.  
  
a-  
t.  
oē  
i-  
m  
n  
t-  
e =  
n.  
j.  
is  
  
b.  
i-  
e  
o  
lo





05 A 1781

ULB Halle

3

003 787 176




VOC

BCI









B.I.G.

Farbkarte #13



17

15.

THESIUM TREUTLERIANARUM

VOLUM. I.

DISPUTATIO II.

De

JURE PERSONARUM

PRÆSIDE

GOTTFRIDO SUEVO D. ET P. P.

Respondente

JULIO ERNESTO Schröder/ Danneb.

THESIS I.

**R**ectè Gajus omne jus pertinere vel ad personas, vel ad res, vel ad actiones, l. i. ff. de stat. bom. Persona & natura sive sexu distinguuntur in mares & foeminas & semper ad alterutrum horum refertur hermaphrodites

*Adjectanea & explicantia.*

x. Distributio illa Gay ab objecto desumpta, satis congrua est, & vel ideo retinenda, quia secundum hunc ordinem Institutiones compilari voluit Iustinianus, in §. ult. Inst. d. I. N. G.

[Hotom. Heigius & alij d. §. ultimum, rejiciunt intit. seq. de Jur. person. for. se ideo, quia & in titulum ff. de stat. bom. distributio illa relata est.]

C

Sed



05 A 7781

